



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 125. Buaco in Fezarum Regem a populo Salutatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

§. CXXV.

Sæcul. XVI.

A. C. 1557.*Buaco in Fezarum Regem a populo
salutatus.*

Verum hæc concordia Buaconem inter, & Turcarum Belliducem haud diu vigebat; ille enim clam Christianis favere accusatus in carcerem detrudebatur: verum sparsa de cæde Buaconis fama seditionem excitarunt Fezæ veteris oppidani, & cum tumultuandi finem nullum facerent, productus est Buaco, ut eum in vivis adhuc esse apparet: sed cum nec sic quidem quiescerent, nec solo illius quasi larvæ, aut spectri alicujus aspectu contenti forent, furori cedere oportebat, moxque Merinius e folio per populum dejicitur, eique Buaco subrogatur, invito licet, ac renitente Salaraisio, qui tamen, cum populum ad sua imperia cogendo impar esset, inde vindictam sumere haud diu differebat; quocirca Marocum, ubi Mahometes Cherifius agebat, quemdam decernit, specietenus quidem, ut captivos commutaret, re tamen ipsa id faciebat, ut Cherifium ad recuperandam Fezam incitaret, eique omne auxilium polliceretur, dummodo hanc expeditionem suscipere vellet. Hoc oblatum Cherifius non sine gaudio acceptat: ast hujus belli initia eidem parum fuere

O o 2

prospe-

Sæcul. XVI.
A. C. 1557 prospera; cum enim Abdala ejus Filius cum copiis suis recta Fezam tenderet, ibidem mox obvios habuit ambos Buaconis Filios, Muleyum Nazerum, & Mahometem, a quibus ejus exercitus fusus, fugatusque fuit.

§. CXXVI.

Buaco in prælio occisus.

Hac tamen clade Cherifius, qui tum Tafiletum obsederat, minime territus, hanc urbem expugnabat, illamque valido præsidio muniebat, & postea itinere Fezam versus directo, Buaconi occurrit, moxque cum eo manus conferit, ubi inito prælio admodum cruento tandem diuturno huic bello finem imponit; quippe Buaco acrius fervente pugnandi, vincendique aviditate accepto in femore Lanceæ ictu exanimis cecidit, quo conspecto mox omnes, qui eum in terram corruisse cernebant, in fugam versi sunt, ceteris quoque pedem referentibus, ac præprimis Muleyus Nacerus, qui penes Buaconem Patrem suum decertabat, cum exiguo suorum agmine ad vicinos montes se recepit: alter vero ejusdem Filius Mahometes Fezam cum quinquaginta Equitibus ingrediebatur, cum vero ibidem civium animos plurimum tepere cerneret, urbe exiit,